



DISSERTATIO VII.

De

FERIIS.

Non Pauci dantur, Lector Benevole, qui eam de juris scientiâ imbibere sententiam ac si ejusdem studium cum homine religioso exiguum, cum rebus verò divinis nulum plane haberet commercium, eaque propter, sit à pietatis studio colendum minus, quo magis cœlica tandem meditari satagit Palatia. Sed hi sunt ferè, qui veræ justitiæ ignari de quolibet honesto ferociter judicant, cœcoque impetu ex utili promiscuè æquum dimetiuntur. Nam si cordatius perpenderent, Jurisprudentiam artissimò esse vinculò & legè quasi fororiâ cum Theologiâ conjunctam, errorem hunc suum, si non planè deponerent, certè condecenter mitigarent. Ast uti nullorum illi, nisi vulgi inexpertis, capiunt animos, sic optimo jure solidæ doctrinæ inscii audiunt rerumque simul, quas tamen jactitant, vel minimè periti. Sunt equidem, largior, permulti, qui jus hinc inde variè detorquent, technas mirificas in obtinendo adhibentes. Sunt alii, confiteor, non rariores, qui benè formatum processum nostrum doli sipariis protervè involvunt, clientulorum oculis lascivè inhiantes; nequaquam tamen iidem justitiæ parentabunt, aut factò suo perverso veritatem mundo subducent. Valeant igitur turpissima, hæc terræ pondera, nefasque improbi detestanda carcinomata. Ab his nimirum denique effectum, ut Fridericus III. Imperator Jurium Doctores ignominioso non tantum mercenariorum titulo dehonestaverit, sed, tanquam inutiles apicum captatores, aulis etiam tribunibusque Principum in totum ejici jusserit. *vid. Limn. de Jur. Publ. l. 4. c. 8. num. 18.* Imitatus præceptum, ut fieri solet, Rex est catholicus ce-

O o

lebris